DE PARTICVLA QVAM POST COMPARATIVOS PLVS AMPLIVS MINVS LONGIVS PROPIVS OMISSA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

PAVLVS HABECK

NAVGARDIENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMXIII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 14. Dezember 1912.

Dr. M. Wien,
d. Z. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSVMIS

S

Particulam 'quam' post comparativos 'plus amplius minus longius propius' omissam ut tractarem id me commovit, quod viri docti hanc quaestionem, quamquam saepius breviter attigerunt, tamen uberius adeo non pertractaverunt, ut ne exempla quidem plene cumulateque collecta sint ac publice proposita. Qua in re eum cursum mihi tenendum esse opinor, ut primum virorum doctorum sententias proferam atque illustrem, deinde exemplis allatis ex priscae aureae argenteaeque latinitatis monumentis diversas formas post comparativos 'plus amplius minus longius propius' adhibitas earumque originem explicem, denique de singulorum scriptorum sermone disseram. Priusquam autem medias in res eamus, scriptores quos huius quaestionis causa adii commemorare liceat. Usus igitur sum corporis inscriptionum Latinarum primo volumine; ex poetis quidem Plautum, Terentium, Ennium, Catullum adhibui (Lucilii et Lucretii exempla exstant nulla); ex scriptoribus autem Catonem, Ciceronem, Varronem, Caesarem, Sallustium, Cornelium Nepotem, Livium, Curtium Rufum, Tacitum, Plinium minorem legi. Valde me adiuvit in inscriptionibus index vocabulorum ab Huebnero editus, in Caesaris commentariis lexicon Meuseli, in Taciti scriptis lexicon Gerberi-Greefi, denique in Livii libris historiae lexicon Fuegneri, cuius primus fasciculus continens comparativum 'amplius' in lucem prodiit; neque minus in comparativo 'amplius' thesauri linguae Latinae primum volumen adiumento mihi fuit.

§ 1. Nunc ad rem accedamus; atque primum proferemus, quid viri docti de particula quam omissa post comparativos „plus amplius minus longius propius" dixerint. Priores

quidem grammatici Reisigius [1], Holtzius [2], Draegerus [3], Kuehnerus [4]) particulam quam post comparativos „plus amplius, minus, longius, propius" fere omitti, sed etiam quam vel ablativum comparationis adhiberi posse adnotant afferuntque nonnulla exempla. Schmalzium autem in grammatica Latina eam rem ne commemoravisse quidem mirum est. Uberius quidem ac subtilius E. Woelfflinus [5] et B. Delbrueckius [6], viri artis grammaticae peritissimi, eam quaestionem pertractaverunt. Woelfflinus igitur in dissertatione sua haec fere explicat: „Die ältere Latinität kennt nicht quam, die jüngere hat es erst zur Verdeutlichung eingeführt." Cui rei assentior; neque usquam in prisca latinitate particula quam post comparativos „plus amplius minus" invenitur. Deinde Woelfflinus exempla nonnulla affert, velut „Plus triginta annis natus sum", Plaut. Men. 446; „Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi", Ter. Adel. 199. Tum vero sic pergit: „Hier stehen Nominativ, Akkusativ und Ablativ durchaus außer aller syntaktischen Verbindung mit dem Komparativ, welchen man vielmehr parataktisch, den Zahlwörtern nachgestellt denken muß; quingentos — plus — colaphos = quingentos, immo plures, infregit mihi. Daß man an dem Neutrum Singularis keinen Anstoß nehmen dürfte, ist bekannt genug und durch einen Vers des Terenz leicht zu veranschaulichen „Dies triginta aut plus eo in navi fui", Hec. 421. Befremdlich ist die Wortstellung, weil die Komparative den Zahlen gewöhnlich vorausgehen. Allein solche Umstellung ist oft erfolgt, wenn die alte Parataxis in eine Hypotaxis, d. h. in einen abhängigen Nebensatz verwandelt ist. Aus venit simul ac sol occidit wurde simulac venit, sol occidit. Daher hat

---

1) Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, p. 798.

2) Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium, II p. 210.

3) Draeger, Historische Syntax der lat. Sprache, I 524.

4) Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache, II 977.

5) E. Wölfflin, Lateinische und romanische Komparation, p. 49 sq.

6) Brugmann u. Delbrück, Grundriß der vgl. Gramm. der indogermanischen Sprachen, V p. 137 sq.

die Verschiebung des Komparativs keine Bedenken." Sed ea sententia mihi admodum quaesita videtur esse. Primum enim in Plauti versu allato a Woelfflino „Plus triginta annis natus sum" comparativus plus cum ablativo coniunctus est. Woelfflinus igitur non habuit, quod negaret eo loco comparativum cum syntaxi coniunctum exstare. Deinde etiamsi priorem parataxin in hypotaxin mutatam esse probamus, tamen sequitur, ut ablativus post comparativos „plus amplius minus" poneretur. Denique Woelfflinus neglexit inscriptiones, quarum in veterrima, in senatus consulto de Bacchanalibus, iam ablativus invenitur, quod Delbrueckius optime adversus Woelfflinum protulit.

§ 2. Delbrueckius[1]) ipse, postquam nonnulla priscae latinitatis exempla attulit sententiamque Woelfflini explicationem ab epistula de Bacchanalibus orsus haec fere disserit: „In dem Satze der epistula de Bacchanalibus[2]) „Dum ne minus senatorbus C adesent" finden wir neben dem Komparativ plus (rectius eum dicere „minus" oportuit) den zu erwartenden Ablativ senatoribus; das Verbum sollte nach strenger grammatischer Regel im Singular stehen, weil plus Subjekt ist, ist aber pluralisch geworden, weil das tatsächliche Subjekt senatores vorschwebte. Dann aber wurde eben um des Verbums willen aus dem Ablativ der Nominativ, und so entstand unser Typus. Ein Satz wie „minus quindecim dies sunt", Plaut. Trin. 402, hat also die Vorstufen: 1) minus quindecim diebus est; 2) minus quindecim diebus sunt."

Qua explicatione Delbrueckius veri vestigium videtur invenisse. Recte enim fecit, quod a vetustissimo loco, ubi ablativus exstat, dissertationem orsus est. Optime quoque disputavit verbi causa ex ablativo nominativum esse factum. Sed idem non nisi nominativi casum explicavit. Quo modo autem alii casus explicandi sunt, quorum imprimis accusa-

---

1) Brugmann u. Delbrück, Grundriß der vgl. Gramm. der indog. Sprachen, V p. 137 sq.

2) Cf. Corp. Inscr. I 196, 6; 9; 18; 23.

tivus mutatus non est? Velut in Plauti Sticho hic locus invenitur „At ego illam (famem) in alvo gesto plus annos decem" (v. 160). Itaque cum Delbrueckius non omnia exempla collecta habuisset, fieri potuit, ut eius sententiam amplificarem.

§ 3. Quinque vero genera principalia exemplorum inveniuntur: aut post comparativos 'plus amplius minus longius propius' ablativus adhibetur, aut numerus in ablativo ponitur casu substantivi comparativo antepositi non mutato, aut casus neque substantivi neque numeri mutatur sive comparativus numero antepositus substantivum sequitur sive, quod plerumque fit, numero atque substantivo antecedit sive inter numerum et substantivum collocatur sive post numerum substantivumque ponitur; aut vocabula, quae comparativum sequuntur, flecti non possunt, sed particula quam deest; aut denique post comparativos „plus amplius minus" particula quam posita est. Pariter autem atque Delbrueckius ab ablativo vetustissima forma post comparativos plus minus adhibita initium faciam. Ablativus igitur his locis invenitur: „Dum ne minus senatorbus C adesent quom ea res cosoleretur", Corp. Inscr. I 196, 6; 9; 18; 23. In eadem inscriptione, quae dicitur senatus consultum de Bacchanalibus, hic locus exstat: „Neve inter ibei virei plous duobus, mulieribus plous tribus arfuisse velent", 21. Quomodo hic ablativus ‚mulieribus' explicandus est? Cum enim antea nominativus ‚virei' legatur, similiter ‚mulieres' exspectatur. Altenburgius [1]) quidem ablativum ‚mulieribus' ex assimilatione formae, quae dicitur, interpretatus est: ablativo interiecto ‚duobus', qui animo scribentis inhaereret, sequentis verbi ablativum effectum esse. Altenburgium sequitur Oertelius [2]). Quamquam fieri potest, ut ablativus ‚mulieribus' ita explicetur, tamen mea quidem sententia hac explicatione opus non est. Ut enim in eadem inscriptione iam ablativus ‚senatorbus' post comparativum 'minus' invenitur, ita hoc loco ablativus

---

1) O. Altenburg, De sermone pedestri Italorum vetustissimo, Diss. Gryphiswald. 1898, p. 34.

2) H. Oertel, Indogermanische Forschungen, Bd. 31, p. 61.

‚mulieribus' ex comparativo 'plus' aptum est, cum nominativus ‚virei' verbo ‚vellent' subiceretur. ‚Mulieribus' autem comparativo 'plus' antepositum est, quod accentum habet. Praeterea priscae latinitatis haec ablativi exempla inveniuntur: „Minus hercle in istis rebus sumptumst sex minis", Plaut. Trin. 411. „Tum tu igitur nil attulisti plus una hac sententia", Ter. Hec. 462. „Nunc ego arbitror oportere restitui, quin minus duobus milibus ducentis sit aerum equestrium", Cato[1]) Orat. rel. 64, 1. Apud Ciceronis aetatis scriptores hi loci exstant: „Si ostendam minus tribus medimnis in iugerum neminem dedisse decumae, concedes, opinor, ut cum decumo fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse", Cic. in Verr. II 3, 114. Hic post comparativum minus bis ablativus positus est. „Dum orator ne plus decuma det, expedit ei decumam esse quam maximam", Cic. in Verr. II 3, 147. „Cum plus uno verum esse non possit", Cic. de orat. II 30. Item Ac. pr. II 147. Similes sunt hi loci Ciceronis: „Quae conclusiones idcirco ratae sunt, quod in disiunctione plus uno verum esse non potest", Top. 56. „Nam et in remo sentio non esse id, quod videatur, et in columba pluris videri colores nec esse plus uno", Acad. pr. II 79. „Sed sit ingenio divino, quem unum e physicis potissimum probabit? Nec plus uno poterit", Acad. pr. II 117. „Neque enim si CCXL iugera oliveti colas, non possis minus uno vilico habere", Varro, Rer. rust. I 18, 3. „Brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duobus milibus habuisset", Sall. Cat. 56, 2. Livius hoc exemplum praebet: „In legationes non plus singulis senatoribus invenientes coacti sunt binos equites adicere", IV 52, 7. Quibus exemplis copia hominum et rerum significabatur; sequuntur loci, qui ad tempus et spatium significandum pertinent: „Plus triginta annis natus sum, quom interea loci numquam quicquam facinus feci peius", Plaut. Men. 446. „Hunc si ullus deus amaret, plus annis

1) Iordan p. 66, 7.

decem, plus iam viginti mortuom esse oportuit", Plaut. Bacch. 818/19. „Plus iam anno scio", Plaut. Curc. 14. Hic quamquam numerus non apparet, tamen numerus ‚uno' cogitandus est; numerus ‚uno' positus est hoc loco Catulli: „Plus uno maneat perenne saeclo", c. I 10. „Si Roma, unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit neque numquam plus triduo fuit?" Cic. pro Sex. Rosc. Am. 74. Hic in substantivo ‚triduo' numerus ‚tres' continetur. „Quae tamen urbs mihi coniunctissima plus una me nocte cupiens retinere non potuit", Cic. Phil. I 7. Similis est hic Sallusti locus: „Neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte moratus", Iug. 76, 1. „Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV spopondisse dicit Flavius, tamen velim des operam", Cic. ep. ad Att. XII 17. „Romuli autem aetatem minus his sescentis annis fuisse cernimus", Cic. de rep. II 18. „Neque longius anno remanere uno in loco colendi licet", Caes. Bell. Gall. IV 1, 7. „Cum iam amplius horis sex continenter pugnaretur, P. Sextius Baculus et item C. Volusenus ad Galbam accurrunt", Caes. Bell. Gall. III 5, 1. „Interim nostri milites impetum hostium sustinuerunt atque amplius horis quattuor fortissime pugnaverunt", Caes. Bell. Gall. IV 37, 3. „Pugnatum amplius duabus horis est", Liv. 27, 12, 14. „Ita dies circiter XV iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinis aut senis milibus passuum interesset", Caes. Bell. Gall. I 15, 5. Item spatium his locis significatur: „Quae castra amplius milibus passuum octo in latitudinem patebant", Caes. Bell. Gall. II 7, 4. „Ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet milibus quinque et triginta", Sall. hist. fr. IV 25 [1]). Nunc autem sequuntur exempla eius modi, ut aequo iure ablativus comparationis vel mensurae statui possit: „Verum ingenium plus triginta annis maiust quam alteri", Plaut. Bacch. 462. „Quid potest esse sole maius? quem mathematici amplius duo-

1) Sall. hist. rell. ed. B. Maurenbrecher.

deviginti partibus confirmant maiorem esse quam terram", Cic. Ac. pr. II 82. „Neque a sole longius unius signi intervallo discedit", Cic. de nat. deor. II 53. Hic comparativus longius ratione spatii cum numero coniunctus est. Item res se habet hoc loco: „Iamque ab eo non longius bidui via aberant", Caes. Bell. Gall. VI 6, 2. „Daturum se operam, ne longius triduo a castris abesset", Caes. Bell. Gall. VII 9, 2. „Cum ipse ab hostium castris non longius mille et quingentis passibus abesset, Considius ad eum accurrit", Caes. Bell. Gall. I 22, 1. 2; „Neque longius a mari passibus trecentis aberant", Caes. Bell. Civ. III 66, 3. „Neque longius ab Oceano milibus passuum octoginta in Rhenum influit (Mosa)", Caes. Bell. Gall. IV 10, 2. „Tamen sese non longius milibus passuum quattuor aquationis causa processurum eo die dixit", Caes. Bell. Gall. IV 11, 4. „Certior factus est magnas copias oppugnandi sui causa convenisse neque longius milibus passuum octo ab hibernis suis afuisse", Caes. Bell. Gall. V 53, 6. 7. „Non longius mille passibus a nostris munitionibus considunt", Caes. Bell. Gall. VII 79, 1. „Non amplius milibus passuum duodeviginti aberat", Caes. Bell. Gall. I 23, 1. „Cum ab hoste non amplius passuum duodecim milibus abesset, ad eum legati revertuntur", Caes. Bell. Gall. IV 11, 1. „Abest derecto itinere ab Utica paulo amplius passuum milibus tribus", Caes. Bell. Civ. II 24, 4. „Comperit minus quinque et viginti milibus longe ab Utica eius copias abesse", Caes. Bell. Civ. II 37, 3. „Non enim amplius pedum milibus duobus a castris castra distabant", Caes. Bell. Civ. I 82, 4. „Huc teretes stipites ... demittebantur, ita ut non amplius digitis quattuor ex terra eminerent", Caes. Bell. Gall. VII 73, 6. „Dum ne amplius duabus noctibus a castris abessent", Liv. 44, 45, 4. „Ut quaereret de veneficiis longius ab urbe decem milibus passuum", Liv. 40, 43, 2. Similis est hic Livi locus: „Veneficii quaestio ex senatus consultu, quod in urbe propiusve urbem decem milibus passuum esset com-

missum, C. Claudio praetori decreta", 40, 37, 4. „Additum etiam utroque ignominiae est, ne in oppidis hibernarent neve hiberna propius ullam urbem decem milibus passuum aedificarent", Liv. 26, 1, 10. „Ne quis eorum propius mare quindecim milibus passuum agrum aedificiumve haberet", Liv. 26, 34, 9. „Alexander haud longius centum quinquaginta stadiis Dareum a se abesse compererat", Curtius 4, 10, 15. „Est tamen statim ab capite paulo amplius mille passibus locus suspectus", Plinius ep. 10, 90, 1. Quo loco codices dissentiunt; A enim praebet „mille locus", a „mille passibus locus", Catanaeus „mille passuum locus." Utraque lectio et „mille passibus" et „mille passuum" tolerari potest. Apud Plinium similis locus non exstat; cum autem plerumque ad spatium significandum post amplius ablativus adhibeatur, lectionem ‚mille passibus' praefero. Keilius quidem ‚passuum' scribit, in thesauro linguae Latinae ablativus ‚passibus' legitur. Exempla autem, ubi ablativus comparationis vel temporis aequo iure statui potest, haec inveniuntur: „Minus triginta diebus Metellus totam triennii praeturam tuam rescidisset", Cic. in Verr. II 2, 140. „Remigem quendam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum madefactum iri minus triginta diebus Graeciam sanguine", Cic., de div. I 68. „Nam minus horis tribus milium passuum trium in circuitu munitionem perfecerunt", Caes. Bell. Gall. V 42, 4. „Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est", Nepos, Themist. V 2. „Ummidia Quadratilla paulo minus octogensimo aetatis anno decessit", Plinius ep. VII 24, 1. Nonnullis quidem locis ablativus instrumenti vel comparationis constitui potest: „Vetat nec e lapide excitari plus nec imponi quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quattuor herois versibus", Cic. de leg. II 68. „Neque eam (terram) minus binis arandum, ter melius", Varro, Rer. rust. I 27, 2. Hic numerus ‚binis' substantivo ‚vicibus' supplendus est. „Ut captivi ne minus decem pondo compedibus vincti in custodia essent", Liv. 32, 26, 18. „Namque versibus exposuit ita, ut sub sin-

gulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit", Nepos Att. 18, 6. Denique autem exempla mihi proferenda sunt, ubi ablativus absolutus, qui dicitur, vel ablativus comparationis statui potest: „Tribunum plebis plus viginti volneribus acceptis iacentem moribundumque vidistis", Cic. pro Sestio 85. „Plus tertia parte interfecta reliquos in fugam coniciunt", Caes. Bell. Gall. 3, 6, 2. „Fieri solitum, ut fetialis hastam ferratam ad fines eorum ferret et non minus tribus puberibus praesentibus diceret", Liv. 1, 32, 12. „Atque in ipso itinere haud plus quadraginta equitibus conlectis tantum motum fecit", Liv. 29, 32, 12/13. „Quidam auctores sunt duo milia et octingentos hostium caesos non plus quingentis Romanorum amissis", Liv. 23, 16, 15. „Non plus duobus milibus hominum amissis cetera omnis multitudo petunt Thessaliam", Liv. 32, 12, 9. „Ad mille et septingenti caesi non plus centum Romanorum sociorumque occisis", Liv. 22, 41, 2. Omnibus locis, quos adhuc attuli, comparativi 'plus amplius minus longius propius' ablativo antecedebant. Exstant autem exempla, ubi comparativi ablativum sequuntur; eius modi hos locos inveni: „Hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in adversariis relinquebat?" Cic. pro Q. Rosc. com. 9. „Saepe enim singulis utendum est, plerumque binis; non fere ternis amplius" (sc. utendum est), Cic. Orat. 224. „Ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem nec una plus", Cic. Orat. 58. Ex quibus exemplis apparet singulos numeros comparativis antepositos esse propterea, quod accentum habent. Similes sunt hi loci: „Cum, si uno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem praesto fuisse", Cic. pro A. Caecina 29. „Haec dicta: uno plus Tuscorum cecidisse in acie", Liv. 2, 7, 2. „Iis enim regiis quadraginta annis et ducentis paulo cum interregnis amplius praeteritis . . . tantum odium populum Romanum regalis nominis habuit", Cic. de rep. II 52.

„Inde quinqueremibus septem et lembis viginti amplius miserat in Corinthium sinum“, Liv. 28, 8, 8. „Quingentis passibus longius ab urbe castra posuere“, Liv. 37, 21, 1. „Ne quis unciario faenore amplius exerceret“, Tac. Ann. 6, 16. „Militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis“, Tac. Ann. 14, 37. Nunc sequuntur nonnulla exempla, ubi comparativus inter substantivum antepositum et numerum invenitur: „Isque aed(ilis) diebus ne minus X antequam locet, aput forum ante tribunale suom propositum habeto“, Corp. Inscr. 206, 34. „Navibus ne minus viginti quinque quinqueremibus adiuvaret Romanos“, Liv. 26, 24, 10. „Alibi parte plus dimidia rem auctam (invenio)“, Liv. 29, 25, 2. Denique duo loci exstant, ubi comparativus inter numerum antepositum atque substantivum collocatus est: „Ab neutra parte sexcentis plus peditibus et dimidium eius equitum cecidit“, Liv. 21, 49, 8. „Sedecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est“, Liv. 30, 27, 10. Quibus in exemplis ablativus post comparativos plus amplius minus longius propius adhibitus est.

§ 4. Nunc autem unum exemplum ex ‚epistula de Bacchanalibus‘ afferam, ubi casu substantivi comparativo antepositi non mutato numerus in ablativo positus est: „Neve inter ibei virei plous duobus . , . arfuise velent“, Corp. Inscr. I 196, 21. Quo loco nominativum antepositum ‚virei‘ comparativus plous cum ablativo ‚duobus‘ coniunctus sequitur. Substantivum ‚virei‘ quidem, cum a comparativo ‚plous‘ seiunctum et subiectum esset verbo ‚velent‘, in nominativo positum est. Propterea autem substantivum ‚virei‘ seiunctum et antepositum esse videtur mihi, quod accentum habet. Numerus ‚duobus‘ quidem comparativo anteposito subiectus in ablativo exstat.

Similiter eiusdem inscriptionis hic locus exstat: „Homines plous V oinvorsei virei atque mulieres sacra ne quisquam fecise velet“, 19. Hic aeque atque antea antepositus est nominativus ‚homines‘, quem sequitur comparativus ‚plous‘ cum numero ‚quinque‘ coniunctus; in eo autem

enuntiato ablativus prorsus deest, cum numerus ‚quinque', quem in ablativo exstare oporteret, declinari non possit. Ea igitur transpositione substantivi ablativi vis repressa esse videtur. Qui sermo, ubi substantivum seiunctum a comparativo antepositum est, quod accentum habet, saepius nobis occurrit. Atque primum exempla afferam, ubi nominativus substantivi comparativis 'plus amplius minus' antepositus est: „Centuripinorum senatus decrevit populusque Romanus iussit, ut senatores ne minus triginta adesent", Cic. in Verr. II 2, 161. „Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus inlustribus", Cic. Brut. 65. „Nostri non amplius viginti omnibus sunt proeliis desiderati", Caes. Bell. Civ. III 53, 2. „Eo die milites sunt paulo minus septingenti desiderati", Caes. Bell. Gall. VII 51, 4. „Ex Afranianis interficiuntur T. Caecilius et praeter eum centuriones quattuor milites amplius ducenti", Caes. Bell. Civ. I 46, 5. „Romani milites de duabus legionibus paulo plus ducenti ceciderunt", Liv. 40, 32, 7. „Romani minus quadringenti (caesi traduntur)", Liv. 24, 17, 6. „Sed qui vere dicionis imperiique Romani facti sint obsidibus datis, populi amplius fuerunt centum viginti", Liv. 22, 20, 11. Nunc sequuntur loci, qui accusativum comparativo antepositum praebent: „Agri iugra non amplius XXX possidebit", Corp. Inscr. I 200, 14. „Qui in agrum compascuom pequdes maiores non plus X pascet", Corp. Inscr. I 200, 14. „Ibi scrobes effodito plus sexagenos in dies", Plaut. Amph. fr. VI p. 53 ed. Goetz-Schoell. „Ancillas secum duxit plus decem", Ter. Heaut. 451. „In Sauracti et Fiscelli caprae ferae sunt, quae saliunt e saxo pedes plus sexagenos", Cato[1]), Orig. II 16. „Quod nisi fecerit, se cohortesque amplius triginta in periculum esse venturum", Caes. Bell. Civ. I 17, 2. „Ipse uno die Phocidis Elatiam milia amplius sexaginta contendit", Liv. 28, 7, 4. Non modo nominativus et accusa-

1) Jordan p. 11, 18.

tivus substantivi sed etiam genitivus comparativo antepositus est. „Sed me illa cura sollicitat angitque vehementer, quod dierum iam amplius quinquaginta intervallo nihil a te, nihil a Caesare, nihil ex istis locis non modo litterarum, sed ne rumoris quidem adfluxit“, Cic. ad Q. fratrem III 3, 1. „Milium amplius quinquaginta circuitu locis apertis exercitum duceret“, Caes. Bell. Gall. I 41, 4. „Hanc regionem dierum plus triginta in longitudinem patentem“, Liv. 38, 59, 6. „Theatrum domine, Nicaeae maxima iam parte constructum imperfectum tamen, sestertium, ut audio, amplius centies hausit“, Plin. epist. 10, 39, 1. Denique in praepositionibus substantivum comparativo antecedit: „A milibus passuum minus duobus castra posuerunt“, Caes. Bell. Gall. II 7, 3. „Ex hominum milibus amplius triginta plus tertia parte interfecta reliquos perterritos in fugam coniciunt“, Caes. Bell. Gall. III 6, 2. „Capta quattuor milia septingenti cum equis plus quingentis“, Liv. 40, 32, 6. „Capta supra quinque et triginta milia cum carpentis Gallicis plus ducentis“, Liv. 31, 21, 17.

§ 5. Posteaquam demonstravi, quomodo ex ablativo substantivo transposito nova forma orta sit, nunc afferam exempla eius generis, ubi comparativo anteposito neque numeri neque substantivi casus mutatur; hoc quidem genere scriptores plerumque utuntur. Atque primum locos afferam, ubi post comparativos ‘plus, amplius minus’ nominativi casus exstat: „Quom amplius dies LX reliquei erunt“, Corp. Inscr. I 206, 151. „Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce aedibus minas quadraginta accepisti a Callicle“, Plaut. Trin. 402. „Amplius sunt sex menses“, Cic. pro Q. Rosc. com. 8. „Quid si tandem amplius triennium est?“ Cic. pro Q. Rosc. com. 8. „Inter Ptolemaeum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt“, Tac. Ann. 6, 28. Quibus allatis exemplis tempus significabatur; nunc locos nominativi ad copiam hominum et rerum significandam proferam: „Audietur a populo Romano L. Flavius, qui suum familiarem Herennium, cum eum amplius centum cives Romani cognoscerent, pro testimonio dixit securi esse per-

cussum", Cic. in Verr. II 1, 14. „Equitatum habet magnum: nam omnis ex proelio integer discessit, ita ut sint amplius equitum milia quinque", Lepidus, Cic. ep. ad fam. X 34, 1. „Sed in deditionem venerunt amplius milia viginti quattuor", Caes. Bell. Civ. III 99, 3. „Omnium consensu hac sententia probata uno die amplius viginti urbes Biturigum incenduntur", Caes. Bell. Gall. VII 15, 1. „Is non solum hostes a muris Karthaginis removit, cum amplius centum milia facta essent armatorum", Nep. Ham. II 4. Saepius autem apud Livium ea exempla inveniuntur: „Plus quinquaginta milia hominum ceciderunt" 25, 6, 13. „Ceciderunt non plus trecenti pedites quattuor et viginti equites", 37, 44, 2. „Non plus tamen octo milia hominum in fuga ceciderunt", 38, 27, 6. „Hominum eo tumultu nocturno caesa plus duo milia", 23, 35, 19. „Hostium plus quinque milia caesa eo die", 23, 46, 4. „Plus tamen duo milia hostium eo die caesa traduntur", 24, 17, 6. „Plus octo milia hominum caesa", 24, 42, 8 „Plus tria milia hostium sint caesa", 39, 4, 10. „Non plus quinque milia occisa", 30, 12, 5. „Paulo plus tria milia militum in castris aut capta aut occisa", 24, 40, 14. „Cum capta plus quattuor milia essent", 34, 41, 10. „Ad duodecim milia hominum caesa, plus duo capta", 39, 21, 9. Capta plus quinque milia hominum", 40, 33, 7. Plus septingenti aut in proelio aut in castris capti", 41, 12, 8. „Neque enim plus terna milia peditum fuere", 33, 18, 13. „Plus duodecim milia equitum animos interdum ad spem certaminis faciebant", 37, 37, 8. „Nec enim plus decem milia hominum erant", 42, 8, 1. „Ut in singulas Romanas ne plus sena milia peditum, treceni equites essent", 43, 12, 4. „Paulo plus quadringenta vehicula missa", 25, 13, 7. Post comparativum 'amplius' nominativus non mutatus apud Livium exstat his locis: „Perusinorumque et Clusinorum caesa amplius milia tria", 10, 30, 2. „Nec omnes Romani, sed pars Gallorum, victi amplius ducenti ceciderunt", 21, 29, 3. „Romanorum so-

ciorumque paulo amplius ducenti ceciderunt", 29, 2, 17. „Vulnerata amplius tria milia hominum", 28, 34, 2. „Amplius tria milia militum amissa", 42, 7, 10. „Capta amplius duo milia hominum", 10, 37, 3. „Amplius septem milia hominum capta", 24, 47, 14. „Capti amplius mille et septingenti", 42, 7, 1. „Decem milia hominum caesa traduntur, amplius septingenti capti", 42, 7, 9. Quo loco codices praebent ‚amplius septingenti passim capti'; recte Madvigius [1]) ‚passim' delevisse videtur mihi: nusquam enim in similibus locis additur, quomodo hostes capti sint; adverbium 'passim' prave repetitum esse ex superiore paragrapho ‚et in fuga passim caesi sunt'. Denique post comparativum 'minus' Livius haec exempla nominativi non mutati praebet: „Minus duo milia circa muros caesa", 10, 37, 3. „Capta minus tria milia hominum", 10, 45, 14. „Minus duo milia capta", 10, 46, 12. „Paulo minus trecenti vivi capti", 29, 36, 9. „Ex Romanis sociisque minus trecenti perierunt", 36, 38, 4. „Minus sex milia hominum inde effugerunt", 31, 21, 17. „Itaque minus duo milia hominum ex tanto exercitu cum ipso duce effugerunt", 24, 16, 4. „Hispani quoque paulo minus mille homines ad consulem transtulerunt signa", 24, 47, 8. „Ut omnis aetatis minus duo milia civium superessent", 23, 30, 6. „Non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt", 35, 1, 3. Apud Tacitum autem hic unus locus invenitur: „Minus triginta transfugae et desertores imperium adsignabunt", Hist. I 30. Ultimo loco nominativi non mutati tria exempla afferam, ubi pars numeri significatur: „Ut ne plus tertia pars eximatur mellis", Varro rer. rust. III, 16, 34. „Siquis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto", Cato, Orig. V 5. „Minus dimidium eius hominum captum est", Liv. 30, 12, 5 [2]).

---

1) Cf. Madvig, Em. Liv. p. 511/12.

2) Iordan p. 24, 9.

Imprimis autem post comparativos 'plus amplius minus longius propius' accusativus non mutatus invenitur. Accusativus enim praeter locos, qui ad copiam hominum et rerum significandam pertinent, et temporis et spatii rationes comprehendit. In quattuor igitur diversa genera distribuo exempla. Atque primum locos ad copiam hominum significandam proferam: „Neive amplius de una familia unum, neive eum legat edatve", Corp. Inscr. I 198, 23. „Qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque milia potest sustinere", Cic. epist. ad Att. 2, 16, 1. „Qui cum amplius centum cives Romanos haberet ex conventu Syracusano, tamen inspectantibus omnibus Syracusanis securi percussus est", Cic. in Verr. II 5, 15, 5. „At hostes, cum ipsi non amplius octingentos equites haberent, celeriter nostros perturbaverunt", Caes. Bell. Gall. IV 12, 1. „In eo proelio non amplius ducentos milites desideravit", Caes. Bell. Civ. III 99, 1. „Minus quinque milia peditum equitumque cum Fabio venisse", Liv. 10, 25, 15. „Inter eos satis constabat non minus ducentos Carthaginiensium equites fuisse", Liv. 29, 34, 17. „Ultra eos equitum minus tria milia opposuit", Liv. 37, 39, 9. „Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia (caesa auctor est)", Liv. 38, 23, 8. „Plus quadringenta milia hominum cepi aut occidi", Liv. 38, 47, 6. „Viginti duo milia hostium eo die esse caesa, plus trecentos captos", Liv. 40, 50, 5. Nunc accusativi exempla sequuntur, quibus rerum copia significatur: „Quin suspirabo plus sescenta in dies", Plaut. Men. 896. Hic in numero ‚sescenta' ex verbo ‚suspirabo' ‚suspiria' supplendum videtur esse. „Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi", Ter. Adel. 199. „Siquis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto", Cato Orig. 5, 5 [1]). Cui loco Catonis similes sunt loci Varronis et Livii: „Nam Stolonis illa lex, quae vetat plus quingenta iugera habere civem Romanum",

1) Iordan p. 24, 10.

Varro, Rer. rust. I 2, 9. „Ne quis plus quingenta iugera agri possideret“, Liv. 6, 35, 5. „Neque enim, si minus ducenta quadraginta iugera oliveti colas, non possis minus uno vilico habere“, Varro, Rer. rust. I 18, 3. „Iisque faciunt haras supra terram aut suptus, in quas non inducunt plus vicenos pullos“, Varro, Rer. rust. III 10, 4. „Subicienda (ova) aliis, quae nondum excuderunt et minus habent triginta pullos“, Varro, Rer. rust. III 9, 13. „Quae velis incubet, negant plus viginti quinque ova incubare“, Varro, Rer. rust. III 9, 8. „Extemplo enim est continuo, quod omne templum esse debet continuo septum nec plus unum introitum habere“, Varro, De ling. Lat. VII 13[1]). „Ego enim amplius sestertium ducenties acceptum hereditatibus rettuli“, Cic. Phil. II 40. „Nam illa membra merere per se non amplius poterant duodecim aeris“, Cic. pro Q. Rosc. com. 28. „Agrum enim minus decem milia reddere, villam plus vicena“, Varro, Rer. rust. III, 2, 17. Quo loco et post comparativum minus et post comparativum plus accusativus non mutatus exstat. „Ex quibus rebus scriba librarius in annos singulos plus quinquagena milia e villa capere dicebat“, Varro, Rer. rust. III 2, 14. „Hos nunquam minus, ut peraeque ducerent, dena milia sestertia ex melle recipere esse solitos“, Varro, Rer. rust. III 16, 11. „Locus inde lautiaque legatis praeberi iussa, et muneris ergo in singulos dari ne minus dena milia aeris“, Liv. 28, 39, 19. „Ne qua mulier plus semiunciam auri haberet“, Liv. 34, 1, 3. „Itaque non amplius quattuordecim cohortis Luceriam coegi“, Cn. Magnus Pompeius, epist. ad Att. 8, 12c, 2. „His duabus legionibus non puto esse committendum, ut illuc ducantur, ex quibus tamen non amplius quattuordecim cohortis contrahere potui“, Cn. Magnus Pompeius, epist. ad Att. 8, 12a, 2. „Interim cognovi in Lycia esse classem Dolabellae ampliusque centum navis onerarias“, Lentulus, Cic. epist. 12, 14, 1. „Harum altera navis

---

1) Rec. G. Goetz et F. Schoell.

ducentas viginti e legione tironum sustulerat, altera ex veterana paulo minus ducentas (navis)", Caes. Bell. Civ. III 28, 3. „Amplius septuaginta oppida castellaque agri Carthaginiensis Masinissam possedisse", Liv. 42, 23, 2. Nunc autem sequuntur exempla, quae ad tempus significandum pertinent: „Ne plus aqua sita siet horam unam", Cato, De agric. 89. „Namque amplius horam suffixum in summa me memini esse cruce", Catull, c. 99, 3. „Pugnatum amplius tris est horas", Liv. 42, 7, 5. „Fregellis in domo Luci Atrei hasta .. interdiu plus duas horas arsisse .. dicebatur", Liv. 43, 13, 6. Horas quidem dies sequuntur. „Quoiusve regis populeive nomine lis aestumata erit, legati adessint, deum nei longius C dies edat", Corp. Inscr. I 198, 63. Quo uno loco post comparativum 'longius' ad tempus significandum adhibitum accusativus non mutatus invenitur. „Haice utei in coventionid exdicatis ne minus trinum noundinum", Corp. Inscr. I 196, 23. „Velim paulisper te opperiri. Quantisper? Non plus triduom", Caec. Statius[1]) 51/52. „Profecto non plus biduum (concedas)", Ter. Eun. 184. „Nam acceptis prioribus litteris amplius quadraginta dies mansit", Caelius, epist. ad fam. VIII 12, 4. Dies autem sequuntur menses. „Per sementim primum incipiunt maturae esse (nuces), postea usque adeo sunt plus menses octo", Cato, De agric. 17, 2. „Oenus ne amplius sex menses, si senatus creverit, idem iuris quod duo consules teneto", Cic. De leg. III 9. Menses quidem sequuntur anni; ad annos significandos plurima exempla exstant: „At ego illam (famem) in alvo gesto plus annos decem", Plaut. Stich. 160. „Sic conditum triticum manet vel annos quinquaginta, milium vero plus annos centum", Varro, Rer. rust. I 52, 2. „Amplius annos triginta tribunus aut praefectus aut legatus aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat", Sall. Cat. 59, 6. „Pater meus, inquit, Hamilcar puerulo me, utpote non amplius novem annos nato . . . Karthagine Iovi

1) Cf. Ribbeck, Scaen. Rom. poes. fr.

optimo maximo hostias immolavit", Nepos, Hann. 2, 3. „Quaeque (pequdes) ex eis minus annum gnatae erunt", Corp. Inscr. I 200, 14. „Et ne plus quadriennium in sole siveris", Cato, De agr. 113, 2. „Plus iam sum libera quinquennium", Plaut. Epid. 498. „Plusculum annum fui praeferratus apud molas tribunus vapularis", Plaut. Pers. 21. Hic quoque post comparativum ‚Plusculum' deminutivum comparativi ‚plus' accusativus non mutatus legitur. „At tecum plus annum vixit", Cic. pro P. Quinctio 41. „Sed ut non vendam eique usuram pendam, a quo emero, non plus annum, possum adsequi quod volo si tu me adiuvas", Cic. epist. ad Att. 12, 22, 3. „Cognitum P. Sempronium, cum plus annum aeger fuisset, mortuum esse, Liv. 40, 2, 5. „Sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moremur", Caelius, epist. ad fam. 8, 5, 2. Sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt", Varro, Rer. rust. 2, 1, 19. „Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, Tac. Agric. 9. „Estne aut tui pudoris aut nostri, primum rogare de die, deinde plus annua postulare", Cic. epist. ad fam. 7, 23, 1. Quo ultimo loco etiam in ‚annua', cum ab anno derivatum sit, accusativus mutatus non est. Deinde accusativi exempla proferam, ubi spatium significatur: „Ternas taleas ponito easque divaricato, supra terram ne plus quattuor digitos transvorsos emineant", Cato, De agric. 45, 3. „Intervallum sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi", Cato, De agric. 161, 4. „Infimum ordinem oportet abesse a terra non minus tres pedes", Varro, Rer. rust. 3, 8. „Nam quod rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adici aedis alienas, invito domino, incendium ut arceatur vetat", Cic. de leg. 2, 61. „Triginta dies obsidio fuit, per quos raro unquam nix minus quattuor pedes alta iacuit", Liv. 21, 61, 10. „Antiochus nihil promovit signa, ita ut extremi minus mille pedes a vallo abessent", Liv. 37, 38, 9. „Non minus quindecim milia Anien abest",

Cato [1]), Orat. rel. 18, 3. „Hostes paulo plus decem milia aberant“, Liv. 38, 24, 1. „Dum ne propius urbem Romam ducenta milia admoveret, Cic. Phil. VI 5. Plerumque autem spatium ‚passibus‘ significatur: „Qua in partei urbis quisque eorum vias publicas in urbem Romam propiusve urbem Romam passus M reficiundas, sternendas curet“, Corp. Inscr. I 206, 26. Item verba ‚propiusve passus M‘ in eadem inscriptione quinquies repetuntur: 20, 50, 68, 69, 77. „Nec propius urbem milia passuum ducenta admoverit“, Cic. Phil. VII 26. „Impetu primo fugaverat legionem vicesimam quintam, ut amplius passus quingentos ultra aciem, quo loco steterat, processerit“, Galba, epist. ad. fam. X 30, 3. „Inveniebat ex captivis Sabim flumen a castris suis non amplius milia passuum decem abesse“, Caes. Bell. Gall. 2, 16, 1. Plurima quidem exempla eius generis Livius praebet: „Castra ab urbe haud plus quinque milia passuum locant“, 1, 23, 3. „Iam plus quingentos passus acies inter se aberant“, 28, 14, 13. „Haud ita multo post gubernator Scipioni ait non plus quinque milia passuum Africam abesse“, 29, 27, 8. „Aberat acies eorum paulo plus quingentos passus“, 31, 35, 2. Profectus paulo plus mille passus a castris Romanis tumulum propinquum ... communivit“, 31, 34, 7. „Quingentos ferme passus longae eae fauces erant, latae haud amplius centum et viginti (sc. passus)“, 33, 17, 7. Muro quoque firmo saepta erat patente in circuitu paulo amplius quattuor milia passuum“, 38, 4, 4. Hic autem praebet codex Bambergensis IIII, codices recentiores III; sequor codicem Bambergensem. „Gymnasium id est minus trecentos passus ab urbe“, 34, 26, 3. „Sed graecum oppidum in mare expositum totum orbem muri minus quadringentos passus patentem habebat, 34, 9, 2. „Minus quingentos passus aberant“, 42, 57, 7. „Mare, quod minus trecentos passus aberat“, 44, 33, 1. „Neu iuncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille

---

1) Iordan p. 48, 4.

passus . . veheretur", 34, 1, 3. Denique tria accusativi exempla mihi afferenda sunt, ubi pars numeri significatur: „Plus partem dimidiam ex quinquaginta milibus hominum caesam", Liv. 36, 40, 5. „Ex quingentis septuaginta, qu in praesidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit", Liv. 23, 19, 17. „An cui de meo sestertium sedecies contuli, huic quadringentorum milium paulo amplius tertiam partem ex adventicio denegem?" Plin. epist. V 7, 3.

Post comparativos 'plus amplius minus longius propius' non modo nominativi et accusativi casus sed etiam genitivus mutatus non est; eiusmodi hos locos inveni: „videsne igitur minus quadringentorum annorum esse hanc urbem, ut sine regibus sit", Cic. de rep. 1, 58. „Quis dubitat exarsisse eos, cum plus ducentorum annorum morem solveremus?" Liv. 8, 4, 7. „Unius tamen ea magnitudo hominis erit, collecta paulo plus decem annorum felicitate", Liv. 9, 18, 8. „Deinde qui labor et quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria", Cic. Tusc. disp. II 37. „Se effecturum ut non minus totidem dierum spatio retardaretur", Nep. Eum. 9, 2. „Neque se plus tridui itinere afuisse, Tac. Ann. 15, 16. „Reliquum spatium, quod est non amplius pedum sescentorum, mons continet magna altitudine", Caes. Bell. Gall. I 38, 5. „Aditus in latitudinem non amplius pedum ducentorum relinquebatur", Caes. Bell. Gall. II 29, 3. „Dein tertia multo ante lucis adventum pervenit in locum tumulosum ab Capua non amplius duum milium intervallo, Sall. Iug. 91, 3. „Portum Phoenicunta minus duum milium spatio inde distantem petiere", Liv. 37, 16, 6. „Minus quattuor milium inde in proxima Euboeae est mari traiectus", Liv. 35, 51, 1. „Inter Venusiam Bautiamque minus trium milium passuum intervallo consules binis castris consederunt", Liv. 27, 25, 13. „Legatis in singulos dona ne minus quinum milium (aeris decreta), Liv. 30, 17, 14. Paulo plus viginti milium alius exercitus fuit", Liv. 10, 38, 13. „Gracchus minus centum militum iactura castris hostium potitus

Cumas se propere recepit", Liv. 23, 36, 1. Denique duo Livi loci mihi proferendi sunt, ubi comparativi ‚plus, minus' singulo loco praepositionem ‚cum' sequuntur particula ‚quam' omissa. Cicero quidem praepositiones non nisi cum particula quam coniungit. Plerumque autem in praepositionibus numeri comparativis antepositi sunt. Livius igitur praebet haec duo exempla, ubi comparativus quoque numero antecedit: „Ipse traiecisset mare cum veteranis Macedonibus non plus triginta milibus hominum et quattuor milibus equitum", 9, 19, 5. „Advenienti Hamilcar cum paulo minus duobus milibus militum oppidumque cum insula traditur", 21, 51, 2.

§ 6. Exemplis allatis, ubi comparativus numero atque substantivo antecedit, nunc venio ad tertium genus mutati verborum ordinis, quod interdum a singulis scriptoribus adhibetur; comparativus enim collocatur inter numerum antepositum et substantivum, quod comparativum sequitur. Eius quidem generis hi loci inveniuntur: „Septingenti sunt paulo plus aut minus anni", Ennius[1]), Ann. 501. „Atque per omnem provinciam magnae atque atroces famae erant, cum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia corporibus hominum vesci contenderent", Sall. hist. fr. I 107. „Duo haud amplius milia peditum et equitatus omnis vix inito proelio cum Magone effugerunt", Liv. 28, 2, 11. Quo loco codices dissentiunt; codices P F praebent ‚duo haud (aut F) amplius', codices V R habent ‚haud amplius tria'. Sequor Luchsium, qui codicis vetustissimi P scripturam aliis praetulit. „Thraecum decem haud amplius milia viam circumsederunt", Liv. 38, 40, 7. Quibus locis nominativus exstat; sequuntur exempla, quae accusativi casum praebent: „Illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse", Sall. Cat. 20, 11. „Pugnatum tamen, ut in nulla pari re, duas amplius horas", Liv. 25, 19, 15. Similis est hic Livi locus: „Duas amplius horas cer-

1) Enn. poes. rel. rec. I. Vahlen.

tamen sustinuere", 36, 38, 3. „Moratus circa urbem triginta haud amplius dies in regnum est profectus", Liv. 45, 44, 21. „Quem (Q. Naevium) quattuor non minus menses quaestiones veneficii tenuerunt", Liv. 39, 41, 5. Qui portus viginti paulo amplius milia ab Rhodo abest", Liv. 45, 10, 4. „Decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus", Plin. epist. 3, 5, 12. Etiam genitivi et dativi casus singulo loco invenitur: „Ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit", Liv. Hist. 4, 52. „Catmelus regulus praeerat tribus haud amplius milibus armatorum", Liv. 41, 1, 8. Optime eo loco Madvigius [1]) ex scriptura codicum „pro regulo erat" emendat „regulus praeerat"; librarium enim, cum primum, omisso ‚regulus', primas litteras verbi ‚praeerat' scripsisset, animadverso erore ‚regulus' interposuisse; ex hoc ‚prae regulus erat' esse factum ‚pro regulo erat'. Denique eius generis locos proferam, ubi comparativi cum praepositionibus ‚post, in, cum' coniuncti sunt: „Falso Samium Pythagoram edunt, quem Servio Tullio regnante Romae centum amplius post annos ... coetus habuisse constat", Liv. 1, 18, 2. „Pluribus auctoribus magis adducor, ut credam decem haud minus post annos ea acta", Liv. 6, 42, 6. „Is primus Volscis bellum in ducentos amplius post suam aetatem annos movit", Liv. 1, 53, 2. „Sed in itinere quinto denique die .. Volux repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus se ostendit", Sall. Ing. 105, 3. „Scipio adversus eum M. Silanum cum decem haud plus milibus militum, equitibus quingentis misit", Liv. 28, 1, 5. Quem quidam cum ducentis haud amplius equitibus, plerique cum duum milium equitatu tradunt venisse", Liv. 29, 29, 4. Cum quingentis haud amplius peditibus ducentisque equitibus degressum iugis Masinissam persecutus", Liv. 29, 32, 4. Hic tradunt codices H, V, L ‚quingentibus', codex R ‚quingentis', omiserunt P, F, λ. Cum Luchsio ‚quingentis' scribo. „Masinissa cum quinqua-

1) Cf. Madvig, Em. Liv. p. 494.

ginta haud amplius equitibus se eripuit", Liv. 29, 32, 5. Ex quibus exemplis, ubi comparativus inter numerum et substantivum collocatur, eo genere adhibito fere inter numerum et comparativum coniunctionem ,aut' vel negationes ,haud, non' interpositas esse apparet. Quo genere dicendi plerumque scriptores historiae Sallustius, Livius utuntur, numquam Cicero.

Deinde inveniuntur nonnulli loci, quibus comparativus numerum sequitur substantivo deficiente. „Cum ducenti amplius in ipsis faucibus portae cecidissent", Liv. 44, 31, 9. „Ut ex duodeviginti milibus hominum duo milia haud amplius evaserint", Liv. 25, 21, 10. Quibus locis numerus in nominativo positus erat; sequuntur exempla, ubi numerus flecti non potest: „Cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret", Liv. 39, 18, 9. „Cum centum et quinquaginta non minus adessent", Liv. 42, 28, 9. „Loricae thoracesque mille amplius summam explebant", Liv. 42, 61, 2. Denique locis quibusdam comparativus post numerum atque substantivum positus est: „Binas gemmas ne amplius relinquito", Cato, De agric. 49, 1. „Agnos triginta ne amplius promittat", Cato, De agric. 150, 2. „Qui soli toto orbe terrarum septingentos iam annos amplius unis moribus et numquam mutatis legibus vivunt", Cic. pro Flacco 63. „Quingentos passus non plus a vallo aberant", Liv. 40, 31, 7. Paucis igitur locis comparativus ut appositio, quae dicitur, accusativum verbo subiectum sequitur; multo saepius autem comparativus accusativo antepositus est. Etiam genitivus tribus locis ante comparativum collocatus est: „Haram facere oportet circiter trium pedum altam et latam amplius paulo", Varro, Rer. rust. 2, 4, 14. „Quinque milium armatorum non amplius relictum erat praesidium", Liv. 40, 31, 8. „Quindecim dierum alimenta urbi non amplius superfuisse constitit", Tac. Ann. 12, 43. Item atque antea accusativus hic genitivus, cum accentum habeat, comparativo, qui sequitur ut appositio, antepositus est.

Bis autem sequitur comparativus substantivum et numerum, quae flecti non possunt: „Apameae manifesto comprehensum, ante pedes praetoris expensum est auri pondo centum paulo minus per Sex. Caesium, equitem Romanum, castissimum hominem atque integerrimum: Laodiceae viginti pondo paulo amplius per hunc L. Peducaeum, iudicem nostrum“, Cic. pro Flacco 68. Ultimo quidem loco proferam tria exempla, ubi accusativus substantivi antepositus est comparativo numero deficiente: „Horam amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur“, Cic. in Verr. II 4, 95. „Quomodo tu hoc nomen triennium amplius in adversariis iacere pateris?“ Cic. pro Q. Rosc. com. 8. „Triduum non plus Delphis moratus in regnum rediit“, Liv. 41, 22, 6.

§ 7. Postquam antecedentibus paragraphis locos protuli, qui neque numeri neque substantivi casum mutatum praebent sede comparativi mutata, nunc vero exempla afferam, ubi particula quam omissa verba, quae comparativum sequuntur, flecti non possunt sive numeri deficiente substantivo sive adverbia exstant; eiusmodi hos locos inveni: „Dum ne minus viginti adsient, cum ea res consoleretur“, Corp. Inscr. I 577; III 9. „In Leontino iugerum subscriptio non est plus triginta“, Cic. in Verr. II 3, 113. „Non amplius, inquis, quinquaginta“, Cic. epist. ad Att. VI 2, 8. „Viginti oppida sunt Dalmatiae antiqua, quae ipsi sibi asciverunt, amplius sexaginta“, Vat. epist. 5, 10[a], 3. „Qui graece scripserunt dispersim alius de alia re sunt plus quinquaginta“, Varro, Rer. rust. 1, 1, 8. „Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta ... locum cepere“, Sall. Iug. 58, 3. „Hic (Thrasybulus) enim cum Phylen confugisset, non plus habuit secum triginta de suis“, Nep. Thrasyb. 2, 1. „Cum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo“, Nep. Pelop. 2, 3. „Dum ne plus quinque sacrificio interessent“, Liv. 39, 18, 9. „Ab incursu Aetolorum se tuentes non plus quinquaginta interfecti sunt“, Liv. 36, 19, 12. „Nec plus quinquaginta ex iis in potestatem hostium vivi venerunt“, Liv. 26,

38, 13. „Ex victoribus ceciderunt non plus centum", Liv. 44, 42, 8. „Cecidere ... Romanorum haud amplius nonaginta", Liv. 28, 3, 16. Hic codices dissentiunt; codices P, e praebent ‚amplius', codices SVRF ‚plus'; praeterea habet codex P ‚LXXXX', F ‚nonaginta', V ‚CXX', R ‚CX'. Recte Luchsius secutus est codicem vetustissimum P, qui lectionem ‚amplius nonaginta' praebet. „Romanorum minus mille interfecti", Liv. 23, 46, 4. „Cecidere ... ex Macedonibus haud amplius mille", Q. Curtius 6, 1, 16. Nunc sequuntur loci, ubi numero ‚mille' genitivus adiectus est: „Plus mi auri millest modiorum Philippi", Plaut. Mil. glor. 1064. „Adversariorumque multa milia concidit, cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset", Nep. Dat. 8, 3. „Plus mille hominum captum cum sex et triginta militaribus signis", Liv. 24, 41, 10. „Paulo minus mille equorum (ceperunt)", Liv. 23, 49, 11. Plerumque autem numerum ‚mille' genitivus ‚passuum' sequitur: „Ibi milites fessos ... docet oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse", Sall. Iug. 68, 3. „Cum hostes non plus mille passuum ab oppido trans fluvium movissent castra", Liv. 35, 3, 2. „Ipse paulo plus mille passuum inde tumulum suis cepit", Liv. 31, 41, 9. „Castra, quae paulo plus mille passuum aberant", Liv. 44, 3, 7. „Quattuor milia fere armatorum ad tumulum imminentem minus mille passuum a castris occupandum mittunt", Liv. 38, 21, 1. „Neque enim provocationem esse longius ab urbe mille passuum", Liv. 3, 20, 7. Denique exstat locus, quo neque numerus neque substantivum flecti possunt: „Plus decem pondo moris pauxilisper perdidi", Plaut. Truc. 913. Nunc sequuntur exempla, ubi adverbia cum comparativo coniuncta sunt particula ‚quam' omissa: „Plus miliens audivi", Ter. Eun. 422. „Quantum sat est, et plus satis: superfit", Plaut. Epid. 346. „Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis", Ter. Eun. 85. „Nil magis vereor, ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater", Ter. Heaut. 198.

Bis quoque in adiectivis particula quam post comparativum ‚plus' omittitur: „Plus miser sim, si scelestum faxim quod dicam fore", Ennius[1]), Scen. 308. „Quo magis erit tibi videndum, ne quid novi decernatur, ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annuum", Cic. epist. ad Att. 5, 1, 1. Hic in adiectivo ‚annuum' ratio temporis continetur.

Denique inveniuntur in Ciceronis scriptis quinque loci, quorum casus perspicuus non est: „Nam ita diligenter constituta sunt iura decumana, ut tamen ab invito oratore plus decuma non possit auferri", In Verr. II 3, 20. Hic „decuma" et nominativus et ablativus existimari potest. „Ex qua parte erat Fannii, non erat HS IIII ∞, ex qua parte erat Roscii, amplius erat HS CCCIↃↃↃ", pro Q. Rosc. com. 28. Hic casus cognosci non potest, cum numerus significetur signo. Similes sunt hi loci: „Disciplina, quae erat ab hoc tradita, locabat se non minus HS CCCIↃↃↃ", pro Q. Rosc. com. 28. „Nam cum dixisset minus IↃↃↃ, populus cum risu acclamavit, ipsa esse", Pro A. Caec. 28. „Cum ad rem publicam liberandam accessi, HS mihi fuit pecuniae CCCC amplius", Brutus, epist. ad fam. 11, 10, 5. Quibus locis, quamquam casus perspicuus non est, tamen particula ‚quam' deest. Item omnes loci, quos antecedentibus paragraphis attuli, particula ‚quam' caruerunt.

§ 8. Nunc autem exempla proferam, ubi post comparativos 'plus amplius minus' particula quam posita est. Atque Cicero primus quidem hoc novo genere dicendi usus est. Particula ‚quam' autem coniuncta est cum nominativo, cum accusativo, cum genitivo, cum ablativo, cum praepositionibus, denique cum adverbiis et adiectivis. Nominativus quidem his locis exstat: „Neque enim plus quam tres aut quattuor reliqui sunt", Cic. Orat. Phil. II 98. „Quid vero, si praeco decumas pronuntiavit, re vera, hoc est lege, edicto, condicione plus etiam quam dimidiae venierunt, tamen hoc tibi praeclarum putabis", Cic. in Verr. II 3, 40. „Non plus ex viginti milibus hominum quam decem

---

1) ed. Vahlen.

(milia) armata erant", Liv. 38, 16, 9. Hic propter numerum additum ‚ex viginti milibus' perspicuitatis causa particula ‚quam' posita videtur esse. „Nec plus quam quattuor milia hominum effugerunt", Liv. 39, 31, 13. „Quo plus quam quina milia peditum, treceni equites in singulis legionibus essent", Liv. 39, 38, 11. „Quo amplius duabus legionibus quam decem milia et quadringenti pedites, sexcenti equites essent", Liv. 40, 36, 10. Etiam hic Livius propter alterum numerum additum ‚duabus legionibus' perspicuitatis causa particulam quam adhibuisse videtur. „Thessalorum non plus quam trecenti erant equites in castris Romanis", Liv. 42, 55, 10. „Haud amplius regem quam mille equites sequebantur", Q. Curt. 3, 11, 17. „Haud amplius quam ut duo ex tribus filiis secum militarent", Q. Curt. 8, 4, 21. „Nec amplius ex tanta pecunia quam centum et triginta talenta superfuere", Q. Curt. 10, 2, 11. „Macedonum minus quam trecenti desiderati sunt", Q. Curt. 4, 16, 26. „Vexillum veteranorum, non amplius quam quingenti numero", Tac. Ann. 3, 21. Quo loco codex M praebet ‚amplius quam genti'; optime emendaverunt Beroaldus, Nipperdeius ‚quam quingenti'. „Ut non amplius apud te quam quarta (pars) remaneret", Plinius, epist. 5, 1, 9. Hic Plinius propter numerum ordinalem ‚quarta' particulam ‚quam' adiecisse videtur; aliis enim locis ‚quam' non adhibet.

Cum accusativo autem particula ‚quam' coniuncta est his locis: „Neque enim est interdictum aut a rerum natura aut a lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius quam singulas artis nosse liceat", Cic. de orat. 1, 216. „At ego omnis dico plus ac multo plus quam decumam abstulisse", Cic. in Verr. II 3, 29. In orationibus Verrinis quidem saepius particula quam cum accusativo coniuncta invenitur velut: „Sed qui a tuis novis edictis et iniquissimis institutis plus aliquanto se quam decumas ablaturum videbat, idcirco longius progressus est", II 3, 150. „Quod si tua res non ageretur, a te potius postularent, ne amplius quam singulas, quam ab Apromio,

ut ne plus quam ternas decumas darent", II 3, 115. Hic post comparativos amplius et plus particula quam posita est. „Quod si fieri non poterat, ut plus quam decem medimna ex iugero exararent, quae erat ratio decumanis?" II 3, 113. „Ut ab aratoribus Centurpinis ne amplius in ingera singula quam terna medimna exigeret", II 3, 114. „Cur M. Brutus referente te legibus est solutus, si ab urbe plus quam decem dies afuisset", Cic. Orat. Phil. II 31. „Quae lex melior, utilior optima etiam re publica saepius flagitata quam ne praetoriae provinciae plus quam annum neve plus quam biennium obtinerentur", Cic. Orat. Phil. I 19. Quo loco comparativum ‚plus' cum particula quam bis coniunctum videmus. „Nec praeteribo ... non amplius quam terna milia peraeque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum", Nepos, Attic. 13, 6. „Quare ex istis nolo amplius quam centum iugera", Nep. Thrasyb. 4, 2. „Hic tamen non amplius quam triduum fame fatigatus, cum castra moverentur, insciente Antigono ingulatus est a custodibus", Nep. Eum. 12, 4. „Nemo plus quam annum consulatum gessit", Liv. 9, 18, 13. „Quis pro certo adfirmet, cum alibi tredecem milia, alibi haud plus quam septem inveniam", Liv. 27, 1, 13. „Etiam quia plus quam unum ex patriciis creari non licebat, artior petitio quattuor petentibus erat", Liv. 39, 32, 7. „Neque in ea provincia plus quam duas legiones esse", Liv. 44, 21, 8. „Medium spatium torrentis paulo plus quam mille passus patebat", Liv. 44, 35, 17. „Is quoque transfuga nuntiabat Bessum haud amplius quam ducenta stadia abesse", Q. Curt. 5, 13, 11. „Ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset", Tac. Ann. 3, 71. Quo uno loco substantivum ‚binoctium' ad spatium significandum occurrit. „Haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit", Tac. Ann. 14, 32. „Sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant", Tac. Ann. 14, 37.

Cum genitivo autem iunctam particulam ‚quam' his locis invenimus: „De se homines, quibus ne reiciendi quidem am-

plius quam trium iudicum praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem, hunc hominem . . . nolunt iudicare", Cic. in Verr. II 2, 77. „Ne quis nostrum plus quam unius civitatis esse possit", Cic. pro Corn. Balbo 31. „Ne tu mihi plus quam unius legionis principes hastatosque dederis", Liv. 7, 34, 5. „Ne quis senator maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet", Liv. 21, 63, 3. „Praesidium Punicum alius decem, alius septem, alius haud plus quam duum milium fuisse scribit", Liv. 26, 49, 2. „Aetolorum et Boeotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achaeus praefectus erat", Liv. 42, 51, 9. „Nam cum Olympi radices montis paulo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatium", Liv. 44, 6, 15. „In otio militem ali, nec plus quam sex . . . +dierum+ frumentum habere", Liv. 44, 20, 4. Hic post ‚sex' lacuna est; certe ante ‚frumentum' genitivus ‚dierum vel mensium' exstitit; ‚dierum' Sigonius addidit, ‚mensium' Kreissigius. „Quum omnis regia supellex haud amplius quam sexaginta talentorum esset", Q. Curt. 10, 2, 24.

Nunc sequuntur exempla, quibus ablativus cum particula quam coniunctus est: „Nec magis adfirmabunt signum illud, si erunt mensi sex pedum esse quam solem, quem mentiri non possunt, plus quam duodeviginti partibus maiorem esse quam terram", Cic. Ac. prior. II 128. „In qua (pictura) Zeuxin et Polygnotum et Timanthem et eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas et lineamenta laudamus", Cic. Brutus 70. „Neve ipse navem ullam praeter duos lembos, qui non plus quam sedecim remis agerentur, haberet", Liv. 34, 35, 5. Similis est hic Livi locus: „Naves, quarum nulla plus quam triginta remis agatur, habeto", 38, 38, 8.

Deinde tres Ciceronis loci inveniuntur, ubi praepositiones cum particula ‚quam' coniunctae sunt: „Nec plus quam de singulis rebus semel consulunto", de leg. III 11. „Nam partim quinque eius partis esse dixerunt, partim non

plus quam in tris partis posse distribui putaverunt“, de inv. 57. „Quid enim hoc miserius quam eum, qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit, fieri consulem non posse? praesertim cum aut solus aut certe non plus quam cum altero petat“, epist. ad Att. IV 8b, 2. Cicero igitur praepositiones non nisi cum particula ‚quam‘ coniungit; alii scriptores in praepositionibus numquam particulam ‚quam‘ adhibent.

Denique numeri, quorum casus flecti non potest, cum ‚quam’ coniuncti inveniuntur: „Nam Poenorum prima eruptione perculsi ceciderunt haud plus quam triginta“, Liv. 23, 44, 5. „Erant autem ii numero plus quam quinque et triginta“, Liv. 28, 26, 2. „Multo minus quam mille captum“, Liv. 24, 42, 8. Etiam in adverbiis numeri particula ‚quam‘ invenitur: „Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur“, Cic. de off. III 61. „Ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit“, Tac. Hist. 2, 47. „Singulae (anseres) non plus quam ter in anno pariunt“, Varro, Rer. rust. III 10, 3. Quo loco Keilius pro ‚plus quater‘, quod codices praebent, ‚plus quam ter‘ scribit Columella et geoponicis auctoribus; quod recte videtur fecisse. Quamquam aliis Varronis locis particula quam semper deest, tamen hoc loco res ‚plus quam ter’ postulat.

Ultimo loco huius paragraphi tria exempla proferam, quae post comparativum ‚plus‘ particulam ‚quam‘ cum adiectivis coniunctam praebent: „Se legem laturum, ne plus quam annua ac semestris censura esset“, Liv. 4, 24, 5. Hic autem in adiectivis ‚annua‘ et ‚semestris‘ numerus continetur. „Quae (opes) apud milites plebemque plus quam modicae erant“, Liv. 21, 24. „Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica“, Liv. 21, 4, 9. Duobus ultimis locis adiectivis modus significabatur. Livius igitur adiectiva semper cum particula ‚quam‘ coniungit, numquam Cicero. Sed haec hactenus.

§ 9. Quid autem commovit Ciceronem, ut particulam ‚quam', quae in prisca latinitate non occurrat, post comparativos ‚plus, amplius' adhiberet? Qua via particula quam, quae ante Ciceronem numquam invenitur, in linguam Latinam penetravit? Aeque atque antea ab ablativo etiam nunc ordiendum esse videtur. Pro ablativo enim comparationis [1]), qui a principio ad res comparandas adhibebatur, iam Plautus particula ‚quam' utitur. Similiter igitur atque in comparativis, quibus res comparantur, etiam post comparativos ‚plus, amplius' Cicero pro ablativo particulam ‚quam' posuit, quamquam hic comparatio non exstat. Itaque Cicero in orationibus Verrinis modo ablativum modo particulam 'quam' adhibet velut „Concedes, opinor, ut cum decumo fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse", II 3, 114 „Ne amplius quam singulas . ., ut ne plus quam ternas decumas darent", II 3, 115. Ablativum autem post comparativos „plus, amplius, minus, longius, propius" in numeris adhibitum non comparationis, sed rectius separationis appellandum esse censeo ideo quod comparatio non fit. ‚Plus duobus viris' significat „von zwei Männern aus betrachtet mehr."

Etiam ablativum comparationis a principio ‚separativum' fuisse Schmalzius [1]) in syntaxi Latina explicat. Mirum igitur non est, quod in prisca latinitate particula quam non occurrit, cum ‚quam' ad res conferendas pertineat. Sed cur Caesar, Sallustius, aequales Ciceronis, particulam ‚quam' non adhibent? Nimirum, quod Caesar, cum rebus grammaticis studeret et analogiam sequeretur, eam anomaliam non toleravit. Sallustius autem priscum sermonem imitatur. Varro quidem particulam ‚quam' non adhibet nisi uno loco, ubi pro ‚plus quater', quod codices praebant, ‚plus quam ter' legendum est, cum res hanc scripturam postulet. Cornelius Nepos autem Ciceronem sequitur, item posteriores scriptores, Livius, Curtius, Tacitus, Plinius. Denique annotandum est particulam ‚quam' tantummodo post comparativos ‚plus, am-

1) Cf. Schmalz, Lat. Syntax, p. 253.

plius, minus‘ inveniri, plerumque in enuntiatis, quae negantur; nonnullis quidem locis, quos apud Livium tractavi, perspicuitatis causa ‚quam‘ adiectum videtur esse.

§ 10. Postquam exemplis allatis diversas formas post comparativos „plus amplius minus longius propius“ adhibitas earumque originem protuli, nunc summam breviter referam. Veterrimum quidem monumentum, in quo comparativi „plus minus“ inveniuntur, inscriptio exstat, quae dicitur ‚senatus consultum de Bacchanalibus‘. In ea inscriptione ablativus et substantivi et numeri invenitur, tum ablativus numeri casu substantivi non mutato, unde novi generis explanatio sequitur. Progressus autem exemplis ex ea inscriptione haustis ita explicandus esse videtur mihi: 1. „Neve inter ibei mulieribus plous tribus arfuise velent“; hic substantivi et numeri ablativus exstat. 2. „Neve inter ibei virei plous duobus arfuise velent“; quo loco substantivum ‚virei‘ a comparativo ‚plus‘ seiunctum et verbo ‚velent‘ subiectum in nominativo positum est. 3. „Homines plous V sacra ne quisquam fecise velet“; hic ablativus prorsus deest, cum numerus declinari non possit; inde sequitur forma postea plurime usitata. 4. „Minus quindecim dies sunt.“ Ita factum est, ut praeter ablativum, qui a principio exstabat, etiam hoc novum genus dicendi adhiberetur. Quae explicatio si non certa quidem, at tamen verisimillima esse videtur mihi, quod alio modo difficultatem loci ‚virei plous duobus‘ expediri non posse existimo. Particula quam autem in prisca latinitate et apud Caesarem et Sallustium omnino non exstat. Cicero primus quidem pro ablativo etiam particulam ‚quam‘ post comparativos ‚plus, amplius‘ posuit, ut denique hoc dicendi genus oreretur: 5. „Neque enim plus quam tres aut quattuor reliqui sunt.“ Itaque a scriptoribus, qui post Ciceronem aurea aetate scripserunt, ut a Cornelio Nepote Livioque, praeter casum non mutatum atque ablativum etiam particula ‚quam‘ non numquam adhibita est. Postea autem aetate argentea quae dicitur apud Curtium et Tacitum, quibus particula quam omissa fortasse ellipsis esse videbatur, comparativi ‚plus, amplius, minus‘ cum parti-

cula ,quam‘ multo saepius coniuncti sunt. Post comparativos ,longius, propius‘ numquam particula ,quam‘ posita est neque in prisca neque in aurea neque in argentea latinitate. Sed haec universe de diversis formis.

§ 11. Nunc autem mihi disputandum est, quem sermonem singuli scriptores post singulos comparativos adhibuerint quasque formas praetulerint. Priusquam singulos scriptores adeam, inscriptionum primum volumen tractabo, ut a monumento incipiam, quod vetustissimum sermonem vulgarem magna ex parte praebet. In inscriptionibus igitur post comparativum plus semel ablativus invenitur, bis casus non mutatur, alias nominativus alias accusativus exstat; post comparativum amplius ter casus mutatus non est, semel nominativus, bis accusativus positus est. Comparativus ‘minus’ ablativum bis praebet, semel etiam ablativus mensurae aequo iure statui potest; ter casus mutatus non est, bis accusativus invenitur, semel numerus flecti non potest deficiente substantivo. Post comparativum ‘longius’ semel accusativus non mutatur; quo loco ,longius‘, quod raro fit, ad tempus significandum adhibetur. ,Propius’ vero accusativum in eadem inscriptione sexies repetitum praebet. Summatim igitur in inscriptionibus post comparativos „plus amplius minus longius propius“ ablativus ter adhibitus, casus non mutatus decies exstat.

Nunc venio ad scriptores priscae latinitatis; atque primum Plautum tractabo, cuius reliquiae scripta ceterorum aetate superant. Apud Plautum quidem post comparativum ‘plus’ ablativus quater invenitur, semel autem aequo iure ablativus mensurae statui potest; accusativus post comparativum ‘plus’ quinquies positus est; ter verba, quae comparativum ‘plus’ sequuntur, flecti non possunt; post comparativum ‘minus’ singulis locis ablativus atque nominativus exstat. Universe igitur in Plauti fabulis ablativus quinquies, casus non mutatus novies invenitur. Annotandum est Plautum tantummodo comparativos ,plus, minus‘, non ,amplius, longius, propius‘ adhibuisse. In Enni autem fragmentis post comparativum ‘plus’ bis casus mutatus non est; semel compara-

tivum 'plus' nominativus numeri et substantivi, semel adiectivum sequitur. Deinde Caecilius Statius unum locum praebet, ubi post comparativum 'plus' accusativus non mutatus exstat. In Terenti quidem fabulis post comparativum 'plus' semel ablativus, ter accusativus non mutatus invenitur; tribus denique locis adverbia, quae flecti non possunt, comparativum 'plus' sequuntur particula quam omissa. Universe igitur apud Terentium, qui non nisi comparativum ‚plus' adhibet, semel ablativus legitur, sexies casus mutatus non est. Postquam priscae latinitatis poetas tractavi, nunc venio ad Catonem vetustissimum scriptorem sermonis pedestris. Atque Cato quidem post comparativum 'plus' sexies accusativum non mutatum adhibet; item post comparativum ‚amplius' accusativus bis invenitur; denique post comparativum ‚minus' semel ablativus, semel nominativus, bis accusativus non mutatus positus est. Summatim igitur in Catonis reliquiis post comparativos 'plus amplius minus' ablativus semel, casus non mutatus undecies legitur. Quodsi priscae latinitatis scriptores respeximus, ablativum, qui a principio erat, iam repressum atque rarius adhibitum, saepius casum non mutatum invenimus. Poetae quidem non nisi comparativis ‚plus, minus' utuntur, Cato etiam comparativum ‚amplius' bis adhibet.

Aureae autem latinitatis aetate accedit nova forma, particula ‚quam' adiecta, quod genus Cicero primus adhibet. Varronis enim libri ‚de rebus rusticis', ubi semel particula quam adhibita videtur, post Ciceronem scripti sunt. Atque Ciceronis sermonem post comparativos „plus minus amplius longius propius" adhibitum nunc consideremus. Ablativus autem post comparativum 'plus' undecies, post comparativum 'amplius' quinquies, post comparativum 'minus' sexies, denique post comparativum 'longius' semel invenitur. Sed octies, bis ablativus mensurae, bis ablativus temporibus, bis ablativus instrumenti, bis ablativus absolutus aequo iure statui potest. Plerumque ablativus adhibetur in minoribus numeris, semper in numero ‚unus', qui septies in ablativo positus est. In maioribus numeris fere casus mutatus non est. Nominativus autem post comparativum 'amplius' quater, post compara-

tivum 'minus' semel mutatus non est. Accusativus non mutatus post comparativum 'plus' ter, post comparativum 'amplius' septies, post comparativum 'propius' ter invenitur. Genitivus quidem post comparativum 'plus amplius minus' singulis locis positus est. Quattuor locis verba, quae comparativum sequuntur, flecti non possunt; sed particula 'quam' deest. Denique exstant quattuor loci, quorum casus perspicuus non est. Particula ,quam' vero in Ciceronis scriptis vicies invenitur. Post comparativum ,plus' nominativus cum particula 'quam' bis coniunctus est, accusativus septies. Comparativus ,amplius' ter praebet accusativum cum particula 'quam' coniunctum. Genitivus quidem post comparativum 'plus' semel, item post comparativum 'amplius' semel cum particula 'quam' cuniunctus est. Cum ablativo autem iunctam particulam 'quam' bis post comparativum 'plus' videmus. Denique ,quam' cum praepositionibus tribus locis coniunctum est, semper post comparativum 'plus'. Uno autem loco particula ,quam' in adverbio numeri ,semel' invenitur. Atque primum ,quam' apud Ciceronem in libris ,de inventione' occurrit, deinde saepius in orationibus Verrinis, quae verborum ubertatem quandam praebent. Denique particula 'quam' in orationibus Philippicis, quas Cicero scripsit ultimis aetatis annis, adhibita est. Cum hominum et rerum copia significatur, particula 'quam' saepius exstat, rarius in rationibus temporis et spatii. Semper praepositiones cum particula ,quam' coniunctae sunt. Plerumque ,quam' in enuntiatis, quae negantur, invenitur. Apud Ciceronem particula ,quam' non nisi post comparativos ,plus, amplius' posita est, apud Livium etiam post comparativum ,minus'. Quo dicendi genere utitur Cicero post comparativos 'plus amplius minus' in epistulis, ubi magis sermonem vulgarem sequitur? In epistulis igitur Cicero semel ablativum, sexies casum non mutatum posuit; uno loco etiam particula 'quam' exstat; sed hic ,quam' cum praepositione coniunctum est, quas Cicero semper cum particula ,quam' coniungit. Plerumque igitur in epistulis Ciceronis casus non mutatus invenitur. Alii quidem, quorum epistulae in Ciceronis epistularum corpore

exstant, non nisi casum immutatum post comparativum ,plus amplius‘ adhibent. Itaque in sermone vulgari casus non mutatus post comparativos ‘plus amplius minus’ praevaluisse videtur. Quod si Ciceronis sermonem post comparativos ‘plus amplius minus longius propius’ adhibitum universe respeximus, casum non mutatum viginti quinque locis, ablativum viginti tribus locis exstare, particulam ‘quam’ viginti locis positam esse invenimus. Cicero igitur fere totidem tres diversas formas adhibuit. Casus immutatus maxime saepe invenitur; deinde ablativus sequitur; particula ‘quam’ minime saepe exstat. Utro denique comparativo Cicero saepius usus est, comparativo ‘plus’ au ‘amplius’? Comparativum ‘plus’ autem saepius adhibuit, cum ,plus‘ tricies quater, ,amplius‘ vicies quinquies inveniatur. Multo saepius comparativus ‘plus’ cum particula ,quam‘ coniunctus est quam comparativus ,amplius’; post ,plus‘ enim ,quam‘ sedecies positum est, post ,amplius‘ quater.

Nunc venio ad aequales Ciceronis. Atque primum Varronis sermonem tractabo. Varro igitur ablativum post comparativum minus bis praebet; nominativus autem semel post comparativum ,plus‘ mutatus non est; quo loco numerus ordinalis exstat. Plerumque post comparativos ,plus, minus’ accusativus non mutatus invenitur, post comparativum ‘plus’ octies, post comparativum ‘minus’ quinquies. Genitivus quoque post comparativum ‘amplius’ semel exstat. Denique duobus locis verba, quae comparativum ‘plus’ sequuntur, flecti non possunt; alias ,quam‘ omissum est, alias in adverbio numeri ,ter‘ adhibitum videtur, quo loco pro ,plus quater‘ plus quam ter legendem est. Summatim igitur in Varronis scriptis bis ablativus, sedecies casus non mutatus, semel particula ,quam‘ invenitur. Ergo casus immutatus apud Varronem valde praevalet. Etiam Varro comparativum ‘plus’ praetulit comparativo ‘amplius’, cum ,plus‘ undecies, ,amplius‘ semel adhibuerit. Quae res aliter se habet apud Caesarem, Sallustium, Cornelium Nepotem, scriptores historiae, qui comparativum ‘amplius’ anteponunt. Atque Caesar comparativo ,amplius‘ viginti tribus locis usus est, uno quidem loco

comparativus ‚plus' invenitur, ubi comparativus ‚amplius' iam in eadem enuntiatione adhibitus est. Ablativus autem apud Caesarem post comparativum 'plus' semel, post comparativum 'amplius' undecies exstat; post comparativum 'minus' ter, post comparativum 'longius' novies ablativus invenitur. Sed quattuordecim locis ablativus mensurae, singulis locis ablativus temporis et ablativus absolutus, duobus denique locis ablativus praepositionibus ‚ab, ex' subiectus eodem iure statui possunt. Nominativus quidem post comparativum 'amplius' quinquies, post comparativum 'minus' semel mutatus non est. Accusativus non mutatus exstat quinque locis, quater post comparativum 'amplius', semel post comparativum 'minus'. Denique genitivus post comparativum 'amplius' ter positus est. Universe igitur Caesar post comparativos 'plus, amplius, minus, longius' viginti quattuor locis ablativum praebet, quattuordecim locis nominativi, accusativi, genitivi casus mutatus non est. Caesarem totiens ablativum adhibuisse ex eo intellegendum est, quod saepe etiam ablativus mensurae statui potest. Post comparativum 'longius' omnibus locis ablativus exstat. Ad copiam hominum et rerum significandam a Caesare casus immutatus fere semper positus est, ad tempus et spatium significandum plerumque ablativus adhibitus est. Numquam autem apud Caesarem particula 'quam' invenitur. Item Sallustius ‚quam' non adhibet. Atque ablativus post comparativum 'amplius' quater legitur; uno quidem loco ablativus subiectus praepositioni ‚cum' aequo iure statui potest. Nominativus non mutatus semel, accusativus immutatus bis post comparativum 'amplius' invenitur. Etiam genitivi casus uno loco post comparativum 'amplius' exstat. Denique duobus locis numeri, qui comparativum 'amplius' sequuntur, flecti non possunt; sed particula 'quam' deest. Sallustius igitur non nisi comparativum ‚amplius' adhibuit; atque post comparativum ‚amplius' quater ablativum, sexies casum non mutatum praebet. Denique Cornelius Nepos comparativum amplius praefert comparativo plus; ‚amplius' enim octies, ‚plus' semel exstat. Primus autem scriptorum historiae particulam 'quam' adhibet; qua in re Ciceronem sequitur. Atque par-

ticula ,quam' ter cum accusativo coniuncta est, semper post comparativum 'amplius'. Ablativus autem apud Cornelium Nepotem bis invenitur, semel post comparativum 'amplius', semel post comparativum 'minus'; post 'amplius' etiam ablativus instrumenti, post 'minus' ablativus temporis aequo iure statui potest. Nominativus quidem semel post comparativum 'amplius' mutatus non est; item accusativus immutatus semel post comparativum 'amplius' exstat. Deinde genitivi casus non mutatus uno loco post comparativum 'minus' invenitur. Tribus denique locis numeri, qui comparativum sequuntur flecti non possunt, bis post comparativum ,amplius', semel post comparativum 'plus'. Particula 'quam' autem deest. Universe igitur Cornelius Nepos bis ablativum, quinquies casum non mutatum, ter particulam ,quam' adhibuit.

Poetarum huius aetatis Catullus unus duo exempla praebet; ablativus autem post comparativum 'plus' semel legitur, uno quoque loco accusativus non mutatus exstat post comparativum 'amplius'. Quodsi Ciceronis aetatis sermonem post singulos comparativos adhibitum respeximus, ea aetate novam formam, particulam quam adiectam, a Cicerone creatam videmus esse. Qua nova forma non numquam Cicero Cornelius Nepos, semel quoque Varro usi sunt, non usi sunt Caesar, Sallustius, Catullus. Praevalet autem apud omnes scriptores casus non mutatus, imprimis accusativus immutatus.

Ex scriptoribus quidem aetatis Augusti elegi Livium, qui multa ac varia exempla praebet. Livius igitur post singulos comparativos omnia tria genera dicendi aut ablativum aut casum non mutatum aut particulam 'quam' adhibet. Atque ablativus post comparativum 'plus' duodecies invenitur, post comparativum 'amplius' septies, post comparativum 'minus' quater, post comparativum 'longius bis, post comparativum 'propius' ter; universe igitur ablativus apud Livium duodetricies exstat. Sed plerumque etiam alius ablativus atque comparationis statui potest. Itaque septies ablativus mensurae, ter ablativus instrumenti, quinquies ablativus absolutus, octies denique ablativus subiectus praepositioni ,cum' eodem iure

statui possunt. Multo saepius autem post singulos comparativos casus mutatus non est. Nominativus quidem post comparativum 'plus' vicies semel positus est, post comparativum 'amplius' ter decies, denique post comparativum 'minus' duodecies. Deinde accusativus non mutatus duobus et quadraginta locis exstat, atque post comparativum 'plus' duodevicies, post comparativum 'amplius' undecies, post comparativum 'minus' duodecies, post comparativum 'propius' semel. Genitivus autem post comparativum 'plus' quater, post comparativum 'amplius' semel, post comparativum 'minus' quinquies invenitur. Etiam dativi casus uno loco post comparativum 'amplius' adhibitus est. Denique sedecies numeri, qui comparativum sequuntur, flecti non possunt, octies post comparativum 'plus', bis post comparativum 'amplius', quinquies post comparativum 'minus', semel post comparativum 'longius'. Particula 'quam' autem deest. Adhibita est particula 'quam' in nominativo quinquies, atque quater post comparativum 'plus', semel post comparativum 'amplius'. Post comparativum 'amplius' aliis locis ‚quam' numquam ponit Livius; sed hic particulam ‚quam' perspicuitatis causa adiectam esse iam commemoravi. Cum accusativo quinquies particula quam coniuncta est, semper post comparativum 'plus'. Deinde post comparativum 'plus' genitivum sexies, ablativum bis cum particula quam coniunctum invenimus. Etiam cum numeris, qui flecti non possunt, particula ‚quam' ter coniuncta est, bis post comparativum plus, semel post comparativum 'minus'. Denique ‚quam' ter exstat in adiectivis. Livius autem adiectiva semper cum particula ‚quam' coniungit, non Ennius aut Cicero. Deinde in praepositionibus Livius ‚quam' non adhibet, cum Cicero praepositiones non nisi cum particula ‚quam' coniungat. Ut Cicero ita Livius particula quam saepius utitur, cum copia hominum et rerum significatur, rarius in rationibus modi et spatii. Denique Livius particulam ‚quam' fere semper post comparativum 'plus' ponit; non nisi singulis locis comparativi 'amplius, minus' invenitur. Universe igitur Livius post comparativos 'plus, amplius, minus, longius, propius' ablativum duodetricies, casum non mutatum

centies quindecies, particulam ,quam' vicies quater adhibuit. Ergo longe saepissime casus non mutatus apud Livium exstat. Utrum denique comparativum Livius saepius adhibet, comparativum 'plus' au 'amplius'? Ut Cicero, comparativum 'plus' anteponit, cum Caesar, Sallustius, Nepos, qui ante eum libros historiae scripserunt, fere semper comparativum 'amplius' adhibeant. Comparativus 'plus' autem octogies ter apud Livium invenitur, comparativus 'amplius' duodequadragies. Apertum igitur est T. Livium genere dicendi secutum esse Ciceronem, ex quo etiam particulam ,quam' recepit, quod genus dicendi Caesar, Sallustius numquam usurpant.

Quem denique sermonem scriptores argenteae aetatis quae dicitur post singulos comparativos adhibent? Cuius aetatis scriptorum tres quidem elegi, Q. Curtium Rufum, Cornelium Tacitum, C. Plinium Secundum minorem, qui sermone post comparativos 'plus minus amplius' adhibito quodammodo inter se differunt. Atque Curtius fere semper particula 'quam' post comparativos 'amplius minus' utitur. Quinquies enim ,quam' cum comparativo 'amplius', semel cum comparativo 'minus' coniunctum est. Quater autem particulam 'quam' cum nominativo, singulis locis cum accusativo et genitivo iunctam videmus. Ablativus quidem semel invenitur post comparativum 'longius', quem plerumque ablativus sequitur, numquam particula 'quam'. Denique uno loco numerus, qui comparativum 'amplius' sequitur, flecti non potest; sed hic ,quam' non exstat. Universe igitur Curtius post comparativos 'amplius, minus, longius' sexies particulam 'quam', singulis locis ablativum et casum non mutatum posuit. Particulam ,quam' autem, quae a principio linguae Latinae omnino non exstabat, nunc apud Curtium praevalere videmus. Tacitus vero fere totidem particulam 'quam' atque casum non mutatum adhibet. Ablativus autem bis post comparativum 'amplius' invenitur; semel etiam ablativus absolutus aequo iure statui potest. Deinde nominativus non mutatus post comparativum 'minus' duobus locis exstat. Accusativus semel post comparativum 'minus' mutatus non est. Genitivus quidem ter invenitur, semel post com-

parativum 'plus', bis post comparativum 'amplius'. Particula 'quam' autem uno loco cum nominativo coniuncta est. Cum accusativo iunctam particulam 'quam' ter invenimus, singulis locis post comparativos 'plus, amplius, minus'. Denique semel particula 'quam' cum adverbio numeri, ‚semel' post comparativum 'plus' coniuncta est. Universe igitur Tacitus post comparativos 'plus, amplius, minus' bis ablativum, sexies casum non mutatum, quinquies particulam 'quam' posuit. Accusativus plerumque cum ‚quam' coniunctus est, numquam genitivi casus. Tacitus autem ‚quam' non adhibet totiens, quotiens Curtius; fere totidem Tacitus casum non mutatum atque particulam 'quam' usurpat. Plinius denique multo rarius in epistulis particula 'quam' utitur. Atque 'quam' uno loco cum nominativo coniunctum est; hic autem exstat numerus ordinalis. Ablativus quidem bis invenitur; semel post comparativum 'amplius' ablativus mensurae, semel post comparativum 'minus' ablativus temporis eodem iure statui potest. Tribus autem locis accusativum non mutatum post comparativum 'amplius' invenimus. Apparet igitur ex paucis exemplis Plinium in epistulis, ubi sermonem in Ciceronis epistulis adhibitum sequitur, fere particulam 'quam' non adhibuisse praeter unum locum, ubi numerus ordinalis exstat. In Plinii panegyrico nullum exemplum invenitur. Argentea igitur aetate particula 'quam', quae antea a Cicerone, Nepote, Livio minime saepe adhibebatur, apud Curtium fere semper invenitur, apud Tacitum fere totiens quotiens casus non mutatus; Plinius quidem ‚quam' non nisi uno loco ponit.

§ 12. Posteaquam igitur tractavi, quod genus dicendi singuli scriptores post comparativos „plus amplius minus longius propius" adhibuerint, nunc disseram, ubi hae formae post singulos comparativos positae sint. Atque Kuehnerus [1]) quidem in grammatico libro haec exponit:

---

1) R. Kühner, Ausführliche Gram. der lat. Sprache, II p. 977 Anm. 14. 1. Aufl.

„Die Komparative plus, amplius, longius, minus; propius nur vereinzelt werden den Zahl- oder Maßbestimmungen entweder mit quam oder häufiger ohne quam hinzugefügt, indem die Zahl oder das Maß in dem Kasus stehen bleibt, den die Konstruktion des Satzes ohne plus usw. verlangen würde. Beim Nominativ und Akkusativ aber können auch plus amplius als Substantiva im Nominativ oder Akkusativ, und die Zahl oder das Maß im Ablativ ohne „quam“ stehen.“ Non male quidem observatum est in numeris et rationibus modi casum non mutatum adhiberi; sed haec pars amplificanda esse videtur mihi. Exemplis enim antea allatis cognosci potest casum non mutatum post comparativos ‘plus amplius minus longius propius’ exstare, cum copia hominum et rerum numeris significetur, cum tempus spatium modus notentur, sive numeri, ut plerumque fit, adiecti sunt, sive numeri non exstant. Exempli causa casus non mutatus his locis invenitur, ubi tempus significatur deficiente numero: „At tecum plus annum vixit“, Cic. pro Quinctio 41; „Estne aut tui pudoris aut nostri, primum rogare de die, deinde plus annua postulare“, Cic. ep. VII 23, 1. Ratio modi invenitur velut in adverbio „satis“. „Iam calesces plus satis“, Ter. Eun. 85. Spatium quidem notetur „pedibus, passibus“, tempus vero „horis, diebus, mensibus, annis“.

Sed altera pars Kuehneri sententiae corrigenda esse videtur mihi. Quod enim contendit comparativos „plus, amplius, longius, minus, propius“ aut cum particula ‚quam‘ aut saepius sine particula ‚quam‘ rationibus numeri et modi addi, errat. Nos quidem in dissertatione nostra invenimus aut ablativum aut saepius casum non mutatum post comparativos „plus, amplius, minus, longius, propius“ exstare. Pro ablativo Cicero primus non numquam particulam ‚quam‘ post comparativos plus, amplius adhibuit. Ablativus igitur principalis et vetustior sermo est, non particula ‚quam‘ ut Kuehnerus putat. Post comparativos ‚longius, propius‘ numquam particula ‘quam’ posita est.

Restat, ut denique breviter quaeratur, utrum post comparativos ‘plus, amplius, minus’ ellipsis statui possit necne.

Ellipsin enim exstare Reisigius[1]) contendit. Quid autem est ellipsis? Ellipsis vero est omissio vocabuli, quod etsi non dictum, cogitatur tamen. Quodsi in prisca latinitate particula ‚quam' omnino non exstitit, ellipsin admittendam non esse perspicuum est. Fortasse autem argentea aetate scriptoribus velut Curtio particula quam omissa ellipsis esse videbatur.

1) Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, p. 798.

VITA.

Paulus Habeck agricolae Pommerani filius natus sum in praedio rustico prope oppidum Naugard sito, cui nomen est Friedrich-Wilhelmshof, a. d. XVII. Kal. Mai. anni MDCCCLXXXIX patre Ottone matre e gente Kluetz. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam ab anno MDCCCLXXXXVI usque ad annum h. s. III. scholam Naugardiensem frequentavi, ad gymnasium oppidanum Sedinense me contuli; hic maturitatis testimonium adeptus Eskuchio directore autumno anni h. s. VII. academiam Berolinensem petivi; cuius civis fui quattuor semestria; docuerunt me viri illustrissimi et doctissimi Norden, v. Wilamowitz-Moellendorff, Diels, Schmidt, Roethe, Riehl. Exercitationibus proseminarii philologici interfui Nordeno moderante. Moratus unum semestre in academia Tubingensi, ubi viros doctissimos Schmid, Gundermann, Maier, Kornemann audivi, almam matrem Ienensem adii, cuius civis eram per quattuor semestria. Hic me docuerunt viri doctissimi et illustrissimi Delbrueck, Goetz, Hirzel, Eucken, Michels. Ut seminarii part. II essem sodalis, permiserunt benigne Goetz, Hirzel, Diehl. Cuius seminarii sodalis ordinarius eram per duo semestria. Seminarii superioris ut sodalis essem ordinarius, benignitate Goetzii atque Hirzelii directorum effectum est.

Quibus praeceptoribus gratiam semper habebo, imprimis cum Bertholdo Delbrueckio tum Georgio Goetzio, qui numquam consilio aut opera mihi defuerunt.